REGIÆ CELSITUDINI
SERENISSIMI
JOANNIS GASTONIS
MAGNI ETRURIÆ PRINCIPIS
THESES EX UTROQUE JURE DEPROMPTAS
IN ALMO PISARUM ATHENÆO PUBLICE PROPUGNANDAS
D. D. D.
JOANNES CAROLUS CAJETANUS FANGHI
CIVIS FLORENTINUS
ALMI COLLEGII DUCALIS ALUMNUS,
NEC NON
PUBLICUS JURIS CÆSAREI LECTOR EXTRAORDINARIUS.



LUCÆ MDCCXIX.
Typis Dominici Ciuffetti.)(*Superiorum Permissu.*)(

REGIA CELSITUDO



A fuit veterum Bellatorum consuetudo, ut, cùm de Hostibus suis magnificè triumphassent, aliquam spoliorum partem Diis illis, sub quorum auspiciis Bellum adeò felix susceperant, solemni ritu consecrarent. Quem sanè laudabilem Ethnicorum morem, & institutum hodierno die pro mea conditione imitor, dum hosce labores meos ante tuum conspectum, REGIA CELSITUDO, *minimè vereor exhibere; & quidem ea, quas hactenus assequuti sumus, quamtumvis leves, & exiguæ, Juris cognitiones nihil aliud sunt, quàm spolia quædam, quæ ex arduo Bello, ac laborioso adversùs Inscitiam, injustam nostrarum mentium insidiatricem,*

 susce-

suscepto reportavimus. Te autem, Princeps munificentissime, jure quidem optimo tamquam propitium quoddam Numen intueor, cujus ope hæc, qualiacumque sunt, me feliciter assequtum esse contendo; Tu siquidem (ecquis ignorat?) HUJUS ALMI LYCEI PATRONUS AMPLISSIMUS ad capessendum Virtutis iter allicis, & invitas; Tu ad idem alacriùs prosequendum, ope, monitis, ac spe identidem inflammas; Tu quoque exemplo

Claud. lib. 1. de Laud. Stil. *tuo, quod plurimi quidem valet* .... Scilicet in Vulgus manant exempla Regentum, *Studiosis omnibus assiduè præluces. At quid aliud est hoc, quàm inermes armis instruere, instructos ad Bellum prosequi; ubique jam dura arma tractantes proprio Numine, propriisque auspiciis adjuvare? Meritò igitur Tibi hoc à me grati animi monimentum exhibetur, meritò hæ Tibi Lucubrationes nuncupantur. Neque pro summa, qua polles humanitate, mihi verendum esse arbitror, quin ea, quæ modò obsequentissimus offero, benigno, libentique animo sis excepturus tanquam longè minora iis, quæ tuam deceant Amplitudinem. Parva, & ipse ingenuè fateor, atque exigua sunt hæc; sed nondum studiis bonarum Artium Nuncium remisi, adhuc mihi cum infestissima Hoste congrediendum est, adhuc decertandum; Quapropter nisi Tua erga me tam splendida benevolentia destituar, aliquid longè majus, quod Tibi alacriori animo exhibeam, me ex hoc Bello reportaturum esse confido.*

Ad

Ad Rubr. & tit. Digest., & Codicis de Fidejussoribus, & Mandatoribus.

I.


Idejussio est Stipulatio, seu Sponsio, qua quis pro debitore aliquo fidem suam citra novationem interponendo ad debiti solutionem in subsidium obligatur.

II.

Creditor cogi non potest ad mutandum Fidejussorem, & æquè idoneum accipiendum.

III.

Fidejussor ad certum tempus acceptus, eo elapso, sine novo consensu in futurum non obstringitur.

IV.

Mulier rectè pro aliis intercedit, si de beneficio S. C. Vell. certior facta eidem renunciet.

V.

Filiusfamilias major 25. annis validè fidejubere potest pro Extraneo.

VI.

Eodem in Fidejussorem accepto, obligatur Pater de peculio

Ad Rubricam Decretalium de Teftamentis.

I.

Teftamentum eft voluntatis noftræ jufta Sententia de eo, quod quis poft mortem fuam fieri vult.

II.

Vitam Monafticam, feu Regularem profeffi Teftamentum facere nequeunt.

III.

Epifcopus de rebus intuitu Ecclefiæ acquifitis Teftari non valet.

IV.

Teftamentum factum coram Parocho, & duobus teftibus valet, non obftante contraria confuetudine.

V.

Teftatoris voluntas in Teftamento imperfecto expreffa adimplenda eft ab Hærede in foro confcientiæ.

VI.

Teftamentis inferuntur Legata, quæ ne dum rei propriæ, fed, & communis, & alienæ valent, licet legata re communi, legata tantùm cenfeatur pars Teftatoris.

Ad

Ad Rubr. & tit. Codicis de Edendo.

I.

Editio duplex est: actionis ad Judicium præparandum; Rationum, & Instrumentorum ad idem instruendum.

II.

Actor cogi non potest ad edendam actionem, nisi post vocationem in Jus, seu citationem.

III.

Liber Rationum contra scribentem probat; non autem pro scribente, neque pro tertio contra tertium.

IV.

Ad intentionem Actoris fundandam Reus nequaquam Instrumentum edere tenetur.

V.

Secus se res habet in Actore respectu Rei; hic enim potest ad edendum cogi.

VI.

Instrumentum quod editur ad hoc, ut plenè probet, authenticum sit necesse est.

Dis-

Disputabuntur publicè in Schola Magna Pisani Lycæi

Anno Domini 1719. Mense Maii die hora

Annuente Illustrissimo, ac Clarissimo Domino, D. Nicolao Antinori Patritio, & Senatore Florentino Illustrissimæ, ac Sacræ Religionis D. Stephani Summo Præside, & Priore Meritissimo, à Consiliis Status, nec non pro S. R. C. COSMI III. MAGNI ETRURIÆ DUCIS Auditore, & Moderatore vigilantissimo Almæ Universitatis Pisanæ.

DOMINI ARGUENTES ERUNT

D. Nicolaus Marcellus Venuti Patritius Cortonsis Eques D. Stephani.

D. Hippolytus de' Ricci Patritius Florentinus Eques D. Stephani.

D. Jo. Andreas Gaspar Christini Civis Florentinus Almi Collegii Ducalis Alumnus.